



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

[§. 10. Vanitas eorum, qui nomina sua omnibus operibus incidunt.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

quàm bonis honores obueniant? 251

dignissimos iudico, si immortalitatem quam meruere sectantur: victurique nominis famam, supremis etiam titulis prorogare nituntur.

§. X.

Vanitas eorum, qui nomina sua omnibus operibus incidunt.

Ita loquitur Gentilis, atque ij, qui quodam veluti rudimento delirij tenentur, & vel gentilitia insignia, vel nomina sua ubique aut affigunt, aut ascribunt, ad honorificam operis à se facti recordationem. Quod etsi subinde necesse sit, ut in libris praesertim ad cauendas imposturas (quamuis etiam doctissimus author, qui se *Idiotam* praemodestia vocat, nomen suum suppressit) aut etiam in quibusdam alijs rebus, quibus artificis nomen addit pretium & auctoritatem; tamen planè plurimorum nimia est sitis, studiumque omne (ut in Traianum iocabatur Constantinus Magnus, apud Aurelium Victorem) in eo locatur, ut quasi parietariae muris omnibus adhærescant; adeò, ut si aliter non possint, vel creta, vel carbone, vel rubrica nomen suum omnibus muris impingant. Et fui in vico, ubi mihi magnæ dignitatis Dominus patibulum ostendit ligneum recens erectum, in quod rustici senatores

Psal. 48.

120

tores omnes cultris sua nomina incidi voluerunt, vt non solùm pro quibus, sed etiam à quibus ea crux ædificata esset, palàm omnibus, etiam posteris constaret. Hanc vanitatem vitio vertit; & in diuitibus deplorans David ait: *Vocauerunt nomina sua in terris suis.* In quem locum Basilius ita differit: *Nonne vides eas, qui fora & gymnasia in ciuitatibus ædificarunt, muros excitarunt, aqueductus ad ornarunt, quo pacto eorum nomina hisce sint indita ædificijs terrenis? Iam verò & sua ipsorum nomina inusserunt equorum armentis; commentum modum quo in longum vita sua tempus, sui memoriam nominis prorogarent. Quin & in sepulchris inscripserunt sua ipsorum nomina, monumentis ad propria ostentationem magnificentia. Hi sunt, qui terrena, præsertimq; gloriam temporis sapiunt, ac per hominum ora volitare tantùm student, atque ista satis esse ad felicitatem putant.*

S. XI.

Eos, qui laudem suam quarunt, sepe indignationem mereri, in ædificijs.

Cuius animi etiam fuit Softratus Gnidius architectus, qui, teste Æliano, Ptolomæo regi fabricatus maximam illam pulcherrimamque in Pharo Ægypti turrim, vnde nau-

tis no-